

### ECLOGA III

- D.* Qui te, Pollio, amat, ueniat quo te quoque gaudet;  
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
- M.* Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Maeui, 90  
atque idem iungat uulpes et mulgeat hircos.
- D.* Qui legitis flores et humi nascentia fraga,  
frigidus, o pueri (fugite hinc!), latet anguis in herba.
- M.* Parcite, oues, nimium procedere: non bene ripae  
creditur; ipse aries etiam nunc uellera siccat. 95
- D.* Tityre, pascentis a flumine reice capellas:  
ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lauabo.
- M.* Cogite ouis, pueri: si lac praeceperit aestus,  
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis. 99
- D.* Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in eruo!  
idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
- M.* His certe neque amor causa est; uix ossibus haerent;  
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
- D.* Dic quibus in terris (et eris mihi magnus Apollo)  
tris pateat caeli spatium non amplius ulnas. 105
- M.* Dic quibus in terris inscripti nomina regum  
nascantur flores, et Phyllida solus habeto.
- P.* Non nostrum inter uos tantas componere lites:  
et uitula tu dignus et hic, et quisquis amores  
aut metuet dulcis aut experietur amaros. 110  
claudite iam riuos, pueri; sat prata biberunt.

### ECLOGA IV

SICELIDES Musae, paulo maiora canamus!  
non omnis arbusta iuuant humilesque myricae;